



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Felix Nolanvs. 14. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Secundum mortem neptis ux multâ luce vestitum,
& coronâ conspicuum se ostendit, quæ illa legenti-
bus loquebatur: *Induit me Dominus vestimento
salutis, & tanquam sponsam decoravit me corona.*
Pulchrè certe honorum cupidos alta descendere
GODEFRIDVS docet. Comitem abjectit, ut Rex es-
set. Ex Su. io.

*Amor aeterna vite & spiritualis studium sapien-
tie velut in summa cordis tui constitutum arce pre-
cellat; quatenus dum fragilem hanc vitam cum sua
sapientia despicias, repleri divino spiritu, qui ad aetern-
am te prouocet gloriam, felici vicissitudine, merca-
ris. B. Pet. Dam. l. 8. Ep. 9.*

S. F E L I X N O L A N V S 14. Ianuarij.

FE L I C I Nolano cum fratre germano ita
convenit, ut ignobilior hereditatis portio, id
est terra fratri, melior verò, hoc est, cælum Felici
cederet, ut qui Christo militaret, germano Imper-
atoris castra sequente. Ita divisus vitæ studiis Fe-
lix sacris est initiatus, ob fidem deinde in vincula
conjectus ab impiis, sed exemptus ab Angelo, jus-
sus est emeritum Praesulem Maximum quærere.
Eum in eremo repertum semianimum precibus
primò, dein uvis, quas de spinis legerat, recreatum
domum suam deportavit. Hinc cum denudò hostes
ei imminerent, occæcati divinitus, quem auribus
suis loquentem audierant, apertis oculis non vi-
derunt. Fugientem porrò, & intra geminarum
ædium parietinas abdentem sese, improviso opere
suo aranea texit, & fuit tam tenuis tela propugna-
culum tunc Felici. Hic Cælitum manu paustus VI.
menses, & alloquio divino dignus, infulâ etiam
effet

esset ornatus, nisi id dignitatis ex innatâ animi demissione in alium ipse transtulisset, quod eum septem diebus ante se sacris initiatum diceret. Obiit tandem FELIX scilicet, tumulumque templum est nactus; quod cum augustiis postea D. Paulinus reddere laboraret, solique rusticani duo ædes suas transcribere negarent, ecce tibi ignis nocturnus tecta rusticorum depastus amplissimam aream descripsit. Neque hoc solum, sed & aliis deinceps miraculis FELIX luxit. Ex Suriio.

Eò minus in hac perigrinatione deficies, quò verius in fontem divine misericordie per virtutem spes mentis oculos levaveris. Hec enim virtus claritate suâ Deum nobis manifestat, & inter hostium catervas intrepide ante faciem Domini nos perducit. B. Laur. Iust. Lig. vitæ.

S. PAVLVS EREMITA. 15. Ianuarij.

PAVLVS Thebæus xv. annorum adolescens plus Decum, quam eremus horruit. Certè hoc unum imprudens Decius boni fecit, quod ex Christianis eremicolas fecit. Eos inter princeps PAVLVS perhibetur, cui in centesimum usque annum ac decimum spelunca tectum, una eademque arbor palma, & victum, & vestem dedit. Annus agebatur Christianus ccc. xxxi v. cum ad eum divino iussu visit Antonius, atque tunc prudens dispensator corvus, qui annos jam ix. dimensum suum PAULO quotidie afferre assolebat panem diuidium, hospitis memor duplicavit annonam. Secundum hæc, cum ita monente PAULO, vestem sepulturæ allatum iret Antonius, priusquam rediret, abire inter Cælites in caelos amicum videt, repetique genibus humi adhuc fixum, passisque brachiis